

† R. P. Augustus Sordet (1867-1950)

(*Prov. Ludg.*)

Defletus confrater octiduo ante suum obitum humiliter supplicabat ut post mortem sibi non dedicarentur nisi paucae paginae admodum simplices, unice ad obediendum praescripto Constitutionum. Studebimus et nos huic desiderio satisfacere.

Natus est 14 Maii 1867 in oppidulo lotharingico Rambervillers (Vosges), haud procul a sede episcopali S. Diodati, e parentibus fide potius quam bonis fortunae divitibus, et mortuus in domo Gannat 17 Nov. 1950. Vixit igitur ultra 83 annos, qui anni sic dividuntur: 12 a. in domo paterna; 7 a. in iuvenatu, nempe 1 a. Contaminae et 6 a. Operariis <sup>(1)</sup> 1 a. tyrocinii in Stratum; 6 a. studentatus in Dongen; 6 a. Lector iuvenatus, scil. per biennium Ordinarius V classis et per quadriennium Ord. III cl., simul Socius iuniorum; 4 a. Lector iuris can. Thuriaci; 2 a. membrum communitatum S. Stephani et hospitii Gérimont (Belg.); 10 a. Magister novitio-

---

(<sup>1</sup>) Per se tunc iuvenatus Provinciae Gallico-Helveticae durabat 6 annos, sed Augustus noster ob infirmitatem duplicavit classem quintam.

rum, et quidem 1905-12 in Attert, 1912-15 in Goedenraad, ubi simul erat Superior localis.

Tunc lumen in candelabro ponitur, quatenus P. Sordet, qui eousque cum mundo reali contactum valde limitatum habuerat, Kalendis Martiis 1915 succedit defuncto Consultori Generali Regionis Gallico-Hispanicae Othmaro Allet, et per 32 longos annos in hoc gravi officio manet, simul Secretarius Instituti et ter (1921, 1936, 1947) Secretarius Capituli generalis. Veruntamen in ultimo Capitulo senex octogenarius alieno adiutorio egebat, quod sollerter ei praestitere PP. Capitulares van Biervliet ut Prosecretarius, Bückers et Zeller ut Subsecretarii.

Quod reliquum erat vitae tempus, tres annos cum dimidio, transegit in tranquilla domo novitiatus Gannat, unde 29 Maii 1950, ergo sexto ante obitum mense, moderatori Analectorum scripsit: « Combien je bénis la bonne Providence et la Madone de m'avoir donné l'occasion de me préparer en paix au jubilé de l'éternité... ». Die autem 6 Septembris addidit haec: « Le temps des voyages a passé pour moi, je n'ai plus qu'à me préparer au grand voyage de l'éternité. En attendant je suis heureux dans ma solitude, je prie, je lis, je n'ai pas encore trouvé le temps de m'ennuyer ».

Octobri mense solito plus e corde laborare coepit dilectus senex. Ingenti gaudio eum affecit novum dogma Assumptionis, et ad radiophonum sedens magno eventui romano in spiritu praesens erat. Ultimum Sacrum litavit 3 Novembris. Quotiens et quanta cum devotione id fecerat per 58 annos! Ipso natali die Congregationis nostrae, quam inde a prima iuventute totis viribus amaverat, morientium sacramentis refectus est, praesente universa communitate. Antequam Viaticum reciperet, bonus senex facere non potuit quin coram omnibus exprimeret animi sui laetitiam, quod tali die tam insignes gratias recipere posset, et quin ad perseverandum in pulcherrima nostra vocatione exhortaretur. Ipso volente sacer ritus claudebatur recitando *Magnificat*, ad gratias Deo agendas quo se ad Congregationem vocasset et magnum perseverantiae donum sibi elargitus esset.

Tandem fer. VI 17 Novembris h. 22, 15, servus bonus et fidelis Domini et Instituti et Ecclesiae, absque agonia, in pace Christi quievit et postea idem sepulcrum recepit ac collega P. Bullen<sup>(1)</sup>. Sollemnem suam ac piensimam pro momento mortis protestationem P. Sordet iam 23 Ian. 1923, antequam obiret vesiculae biliaris operationem, scriptis mandaratum suum testamentum spirituale. Inde desumpta sunt pulcherrima verba quae in imaguncula funebri leguntur.

De caro defuncto alia multa in necrologio typis impresso et ab A.R.P. Stephano Duplex exarato. Nos saltem haec pauca adiungimus. P. Sordet, quo tempore fuit Consultor Generalis, visitationem cano-

(1) De eo vide *Analecta* XX (1949), 39-41.

nicam nomine Rev.mi Rectoris Maioris perfecit in tribus Provinciis Gallicis, in Hispanica, Neapolitana, Canadensi S. Annae. A Benedicto PP. XV a. 1919 nominatus est Consultor S. C. de Religiosis, et ut talis multoties indicare debuit de variorum Institutorum Constitutionibus novo Codici accommodatis. Ipse vero hanc operam praestitit pro Regula et Constitutionibus nostrarum Monialium a SS. Redemptore, quae 28 Ian. 1931 formalem S. Sedis approbationem nactae sunt.

A. 1933 S. Congregatio de Propaganda Fide Patri Sordet commisit Visitationem Apostolicam parvi Instituti « *Les Petites Servantes du Sacré-Coeur* » convertendis et educandis Nigritis, Mentoni in Gallia meridionali paulo ante exorti, sed in gravissimis angustiis constituti. Per 17 annos continuos hoc officium tanto amore tantaque prudentia ac dexteritate persolvit, ut haec nova plantatio in horto Ecclesiae interim profundas radices egerit ac plenam S. Sedis approbationem receperit. Visitoris praeclara merita eloquenter agnovit is, qui Patri Sordet hoc delicatum mandatum dederat et inde ab initio operis progressus viderat: E. mus Card. Fumasoni-Biondi, S. C. de Prop. F. Praefectus.

A. 1940, cum Italiae ingressus in bellum contra Galliam et Magnam Britanniam certus evasisset, PP. Sordet et Bullen et Lotter, existimantes (quamquam erronee) Romae non satis consultum esse suae securitati ac libertati, in Galliam profecti sunt. Ibi P. Bullen mortem occubuit 7 Ian. 1942, P. Sordet et Lotter autem, feliciter superatis ingentibus difficultatibus, 11 Aug. 1942 Romam revertere, at macilentiores quam antea.

Quo tempore P. Sordet Romae vixit, in mediis suis pro Instituto et Ecclesia occupationibus non obliviscebatur se esse animabus salvandis destinatum vi professionis suae religiosae. Libentissime igitur, quoad poterat, excipiebat confessiones sive exterorum sive nostratium; per 25 annos fungebatur officio confessarii ordinarii Fratrum Maristarum in Collegio S. Leonis Magni, et per 30 annos Sororibus Nanceiensibus a S. Carolo Borromaeo menstruam tradebat conferentiam; id quod tamdiu pro eadem communitate facere vix potuisset, nisi ascetica religiosa pristino Magistro novitiorum valde familiaris fuisset.

P. Sordet erat statura mediocri simulque pinguissimus. Pulcherrimi in eius corpore erant oculi grandes, prominentes, perlucidi; sed pulchrior erat eius anima. Praesertim admirabamur vividum eius spiritum fidei, quem magna simplicitate manifestabat, veluti cum morienti suo collegae Patri Ter Haar pios affectus suggerebat; vel cum in paenultima sua ad nos data epistola scripsit: « St. Alphonse veille sur nous, et tout ce qui arrive ne doit être envisagé que dans les vues supérieures de la Providence qui sait, mieux que nous, ce qui convient au vrai bien de la Congrégation. Ayons confiance! »

P. Sordet in longa sua vita fere innumeras scripsit epistulas, et deliciosas quidem atque usque ad extremam senectutem in scriptura regulari, densa, bene legibili; quae si publicarentur, animae eius bonitatem ac comitatem clare ostenderent.

Annis 1916-1925 E. mus Card. Mercier saepenumero Romae noster veneratus hospes fuit, ac toto illo tempore P. Sordet eum ubique sequebatur sicut canis iuvenem Tobiam. Magnus ille Princeps Ecclesiae eum vocabat « *le dévouement personifié* », a. 1922 eum elegit suum « Conclavistam » et particulare indultum ei a Summo Pontifice efflagitavit, sic suum gratum animum ostensurus.

Alius Purpuratus Pater, Decanus Sacri Collegii Card. Tisserant, 4 Iun. 1951 de P. Sordet Pl. R. Patri Quittelier scripsit: « J'ai toujours trouvé en lui un excellent conseiller et il m'a honoré de son affection, avant même que je sois devenu Cardinal. Il m'a ensuite rendu beaucoup de services, car je me suis adressé souvent à lui pour savoir comment me comporter avec les Congrégations religieuses dont j'étais le Cardinal-Protecteur ».

Dubio procul igitur P. Sordet inter eminentiores Instituti sodales numerandus est. Eratne immunis omni defectu? Nemo id asserere audeat. Praesertim notabatur, quod eius de personis ac rebus iudicium non erat semper plane obiectivum, sed saepe potius subiectivum, nimis a naturali sympathia vel antipathia vel phantasia dependens, ipso tamen inconscio, sed haud pauci confratres inde doloribus affecti sunt. Etiam P. Duplex scribit: « Il se défendait mal contre certaines antipathies naturelles ».

Sed nolumus in his umbris immorari; potius laudemus Deum Patrem luminum, a quo omne donum perfectum descendit (cfr. Iac. 1, 17), quod tantam donorum caelestium copiam dilecto confratri nostro contulerit; et admiremur hunc fidelem Dei famulum, qui cum tanta constantia, a prima infantia ad extremam senectutem, supremo Domino servivit. *Deo autem servire*, teste S. Augustino, *regnare est*.